



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali
Benedictina Universitate Salisburgensi**

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460526

8. De Conjugio leprosum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

Nec ratio dubitandi tanti esse videtur, ut discessionem imperare possit: etenim negotium illud decretum Tridentini, tanquam correctorium, à matrimonio ad sponsalia extendi non posse: nam in subordinatis, quando omnino eadem est ratio, dispositio quoad unum afficit etiam alterum, quod ad ipsum ordinatur. Neque ad rem facit paritas adducta de matrimonio clandestino in ordine ad sponsalia clandestina, quandoquidem in his non militat eadem omnino ratio: cum motum adulterii, quod est in matrimonio clandestino, cesset in sponsalibus clandestinis.

37 *Effectus secundarii impedimenti raptus sunt poenae raptui annexae. Et quidem jure antiquorum Canonum tam raptor, quam ejus fautores incidunt in excommunicationem non latam, sed ferendam sententiae. c. 1. & 2. causa 36. q. 2. Tridentinum verò d. loco statuit, ut etiam secundo matrimonio interraptorem & raptam, nihilominus raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, aut favorem praebentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decendant, teneanturque praeterea raptor mulierem raptam sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare. Est ergo hodie poena raptus excommunicatio latae sententiae, sed non reservata. Bonacin. d. punct. 18. n. 9. Farinac. q. 145. n. 21. poena autem infamiae, inhabilitatis ad dignitates, depositionis, & dotationis sententiae ferendae, & ideo non obligat ante Judicis sententiam. Layman d. c. 3. n. 4. Filiuc. de Imped. matrim. n. 264. Jure Civili in l. un. C. de raptu Virg. & in Novell. 143. in raptorem sancitur poena ultimae supplicii, & ut bona raptoris, eorumque, qui illi opem tulerunt, statim raptae cedant, quae tamen amittit, si raptori nubat. An verò etiam hodie amittat? consule Sanchez de matrimo. lib. 7. disp. 12. n. 27. & seqq.*

§. VI. *Contrarium impedimenti raptus est motus, quo cessat. Cessat autem hoc impedimentum, si raptam à raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta, raptorem in virum habere consenserit: nisi enim aliud obstat, validum erit matrimonium, ut patet ex Tridentino loc. cit. contra quod d. l. un. C. de Raptu virg. & Novell. 143. nihil valet.*

TITULUS VIII. De Conjugio leproforum.

SUMMARIA.

1. *Lepra, vel alius morbus non impedit matrimonium.*
2. *Superveniens dissolvit quidem sponsalia. 3. Non item matrimonium.*

Hoc titulo quaritur: anne etiam lepra, vel alius morbus contagiosus matrimonio impedimentum ponat? Pro cujus resolutione.

Dico I. Nec lepra, nec quicumque alius morbus impedit matrimonium, dummodo non causet perpetuam impotentiam, adeo ut, quamvis graviter peccet, qui dissimulatio hujusmodi morbo nubit, & ita conjugem decipit, morbo tamen, & rei veritate detecta, non solum valide, sed etiam licite matrimonium inibitur, sive duo v. g. leprosi inter se, sive vir leprosus cum femina sana, aut econtra contrahant, quandoquidem nullibi prohibentur; imò singulariter in c. 2. h. t. cautum est, leprosis, si concinere nolint, & aliquam, quae sibi nubere velit, invenerint, liberum esse ad matrimonium convolare.

Dico II. Si post sponsalia de futuro inter legitimas personas contracta, antequam à viro mulier traducatur, alter eorum lepram, vel alium morbum incurrit, ad eam, vel eum accipiendum cogi non debet, cum nondum inter

inter eos matrimonium fuerit consummatum. Textus in *c. fm. h. r.* Idem est, si lepra præcesserit sponsalia, sed fuerit ab altero contracte ignorata: quia verisimile non est, quod etiam leprosa matrimonium promittere intenderit. Quodsi verò sponsus sponsæ, aut hæc sponsi lepram, aliumve morbum ante sponsalia sciverit, à sponsalibus resilire non poterit: sibi enim imputet, quod cum infecto contraxerit. *Zoëf. h. r. n. 1.*

Dico III. Si post contractum jam matrimonium lepra supervenerit, aut primum cognita fuerit, propterea conjuges nec quoad vinculum, nec quoad cohabitationem, ac thorum separandi sunt, sed sanus leproso cohabitare, & petenti debitum conjugale reddere tenetur juxta *c. 1. & 2. h. r.* Quod tamen limica, nisi iudicio medicorum subist probabile periculum infectionis: tunc quippe cessat obligatio matrimonialis quoad thorum & cohabitationem, eo quod per contractum matrimonialem nemo prædictam obligationem in se suscipere censetur, excepto casu, quo lepra antecessit, & alteri conjugi nota fuit. *Barbof. in d. c. 2. n. 4. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 24. à n. 22.* ubi idem esse tradit de aliis morbis contagiosis. Sin ob horrorem lepræ conjux conjugem leprosum, & ideo à consortio hominum separatum, quoad cohabitationem sequi nolit, utriusque à Judice Ecclesiastico injungenda est continentia per *d. c. 1. & ibi DD.*



TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

Impedimentum conditionis, id est, status, servilis, includitur in impedimento erroris; ideo sub hac rubrica de utroque agitur.

KÖNIGIN DECRET. LIB. IV.

Pars I.

De Impedimento conditionis.

SUMMARIA.

1. Quid sit impedimentum conditionis? 2. Quo jure dirimat matrimonium? 3. 6. 7. Qualis servitus inducat impedimentum? 4. 5. Quorum matrimonii obstat? 8. Hujus impedimenti effectus. 9. Quomodo tollatur?

§. I.

Definitur impedimentum conditionis, quod sit error status servilis in persona, cui nubit persona libera, inter eas matrimonium dirimens.

§. II.

Causa efficiens impedimenti conditionis, duplex est: remota & proxima.

Remota est jus, non naturale, ut vult Scotus 4. dist. 42. q. un. §. Ex dictis breviter, sed Ecclesiasticum, ut docet S. Thom. in Supplement. 3. p. q. 52. a. 1. ad 3. cum ait: *juro positivo determinatè est factum, quod servitus ignorata matrimonium impediatur.* Ratio est: quia servitus non est defectus substantialis personæ, sed qualitatis, consequenter error, seu ignorantia illius non aufert voluntarium simpliciter, & consensum circa materiam substantialem matrimonii. Fateor tamen, hoc impedimentum fundari aliquatenus in dictamine æquitatis naturalis, ut enim arguit S. Th. cit. loc. est æquitati naturali consentaneum, ut contrahentes matrimonium æqualem afferant suorum corporum potestatem in finem generationis; sed hanc persona servilis, & mancipium nequit afferre, quippe quod dominio alterius subjectum, ab ipso vendi, & in longinquas terras ablegari, domesticisque negotiis, diu, nocturne occupari jure potest, non obstante matrimonii vinculo. *cap. 1. h. r.*

Causa efficiens proxima impedimenti conditionis, est error servitutis olim usitæ: nam error illius conditionis servilis, qualis hodie

R

in